

**Latein**

1. April 2009, 8:00 Uhr

**Nuntii Latini mensis Martii 2009**

Recitator: York Grüninger

**Caedes in Germania commissa**

Adulescens septendecim annorum in vico Winnenden furens sedecim homines vita privavit. Inter necatos fuerunt novem discipuli tresque magistri, qui inter scholam ictibus pistolii percussi sunt. Proelio cum custodibus publicis commisso facinoris auctor ipse mortem sibi conscivit. Quo facto controversia magna est orta, num melius esset cum ludos computatrales, in quibus homines trucidantur, vetari, tum arma ignifera maiore cura servari.

**Tabularium Coloniae corruit**

Aedificium, cui tabularium vetus urbis Coloniae inest, corruit. Documenta maximi momenti historiae Rhenaniae mille annorum deleta sunt. Causam huius cladis fuisse labores ad ferriviam subterraneam faciendam necessarios pro certo habetur.

**Unio Europaea sine duce**

Parlamentum Tzechiae declarans se Mirek Topolanek ministrorum praesidenti diffidere eum coegit, ut munere se abdicaret. Qui idem hoc tempore Consilio Unionis Europaeae praeest. In Tzechia nunc electiones praematurae postulantur

**Piratae comprehensi**

Copiae navales Germaniae ante oram maritimam Somaliae impetum piratarum prohibuerunt. Quo modo effecerunt, ne navis mercatoria Germana caperetur. Piratae comprehensi magistratibus Kenianis dediti sunt. Consilium est piratas ibi in ius vocari.

**Saltus praestantissimus**

Sebastian Bayer saltu octo virgula unum et septuaginta metra superans campionatum Europae consecutus est. Quo saltu athleta Bremensis plus quam dimidium metrum addidit spatio maximo, quod adhuc saliens emensus erat. Nemo nisi Carl Lewis Americanus intra aulam athleticam longius saluerat.

**Caput societatis Werder abiit**

Jürgen Born munere praesidis societatis Werder Bremen se abdicavit. Ei crimini datum erat in pedilusoribus transferendis pecunias accepisse. Ipse se innocentem esse affirmavit.

**Notabilia:**

Nonnullae res Romanae huius anni:

06.-07.6. Celebratio Romana Carnunti ad vicum Petronell Austriae Inferioris habenda  
[www.carnuntum.co.at](http://www.carnuntum.co.at)

17.-19.7. Festum Navis Vinalis Noviomagi habendum  
[www.neumagen-dhron.de](http://www.neumagen-dhron.de)

01.-02.8. Celebratio Romana in villa Perl-Borg habenda  
[www.villa-borg.de](http://www.villa-borg.de)

14.-16.8. Panis et Circenses Treverenses  
[www.brotundspiele2009.de](http://www.brotundspiele2009.de)

29.-30.8. Celebratio Romana Augustae Rauricae habenda  
[www.augustaurica.ch](http://www.augustaurica.ch)

16.5.-25.10. Exhibitiones:  
Anniversarium bis millesimum Cladis Varianae  
„Imperium“ in oppido Haltern am See  
"Konflikt" in vico Kalkriese

"Mythos" in oppido Detmold  
[www.imperium-konflikt-mythos.de](http://www.imperium-konflikt-mythos.de)

Plures actiones et expositiones Romanas invenies in interrete sub:  
[www.antikefan.de/termine](http://www.antikefan.de/termine)

**Die deutsche Version:**

Lateinnachrichten März 2009 →

Recitator: York Grüninger

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/vorschau648.html>